monis filius, qui Bremæ solet in conuictu iucundissimus tuiq similimus esse. Horum exemplis te inuitatum iri spero, ut si res ferent tuæ, si vocatio sinet, si citra dispendium liceret diebus aliquot te nobis dedar fruendum. non habeo tantum ocij ut me largiter amicis impertiam, sed nihilominus decidemus aliquid seriis rebus, quod tam necessario amico impendi possit. Vale. Non enim diutius epistola immorari possum ad scholam properans, ut explicem si possim illud quod ex Esaia citat Apostolus. Plures filij desertæ quā eius quæ habet maritum, cui repugnare videtur quod 24 cap. idem ait Propheta. ut si pauci viri reliqui sint in racematione sic erunt in terra tollentes vocem et laudantes DEUM. Filius DEi confirmet et perficiat quod in te iam olim cepit opus bonū ad gloriā sui nominis Amen. Dominica 4. Post Trinitat. Duisburgi

1560.

Nr. 64)

[Langena]

Pax Christi. D. Doctori Alberto Hardenbergio

Bremensia I. 11. f. 571

[= Mscr. a. 11. Nr. 204]

Venerande D. Doctor et frater. Si non peruenit quā vesperi vorstio ad te nuper dederam non dubium est quin meam ingratam [illegible] iamspridem et quidem merito grauiter incuses. At ne si peruenit quidem, illa male coharente et inepta epistola effugere potero iustam reprehensionem. Vnum rogo atq obtestor ne si quid forte fuit in ea ipsa quod tuo grauissimo iudicio non fecit satis non eo fias ab amico alienior sit accipiens non sane mihi voluntatem bonam in iis, quæ postulaueras sed doctrina in eam partem explicatam certitudinem defuisse. qua de re prolixius agerem nisi te huius meæ putiditatis mihi putarē conscium esse. Non sim saluus si me postq moueri cepit ea dissensio vel periculum vnquam vel cuiusq gratia scientem a veritatis confessione abduxit. sed quarum rerum certam et explicatam scientiā non habeo neq si me enecem consequi possum de iis ipsis nequeo prolixe definiteq pronunciare. Filius DEI qui portat infirmitates nostras det mihi cor et robur. Satis hic secundæ res nobis hactenus fluxerūt preterq quod ad quæ vocati sumus admodum tenuiter oriantur. nec mirū quū et præsidium infirmū sit et multis obstaculis oppugnetur. At nihilo minus nescio qua vocationis fiducia pertinacem quandam spem rei bene gerendæ non prorsus de nihilo retinemus. De plerisq quæ vel accidere nisi vel etiam nū impendent vtinā non tā verus vates fuisses. Attamen ut ut eueniant cætera: in eo, certe aut me fallent omnia, aut te coniectura quū sæpe futurū diceres, ut ab amicis impulsus, subeam rursus pædotribicū iugum, in vltima demum ætate restim ducturus. Scio quam nihil sam sit in me mihi. sed eam fidentiam facit mihi Dominus. ut non dubitem multo meliora tua de me existimatione, sperare. Deus Pater D. nostri Iesu Christi.

ei qui dedit nobis hanc mentem ut in agnitione et fiducia filii sui dilecti cla-
mare audeamus Abba pater servet nos omnes incontaminatos usque ad re-
uelationem filiorum Dei. Me certe fateor non inoffenso cursu ad praescrip-
tam metam contendere. saepe tumultuor et labasco. saepe premor in arctum
redactus, saepe ἄλλοτε ἀέρος perque aere subsisto. sed quia me sentio hactenus
etiam in rebus deploratis desertum non fuisse, etiam in magnis difficulta-
tibus quas aegerrime explico hanc tamen fiduciam mordicus retineo, cuius pr-
sentiae salutaris iam pridem multas significationes habeo, eius mihi in poste-
rum tempus opportunum auxilium nunquam defuturum. proinde nihil admittam
vel in meos familiares, vel in meam ipsius animam, quod puriori doctri-
nae non consentiat, nisi prorsus inanis spes est huius pauperis omne praesidium
in Deo saluatore suo collocantis. quod sicubi inscitia impegero plagas
pati possum, desicere nec debeo, nec possum. Quamobrem venerande
frater ut ignoscere superioribus erratis tua mansuetudo et in posterum me-
lius ominari velit, te etiam atque etiam rogo. Nam quia tuo quam iudi-
cio plurimum defero, et praedictiones tuas in aliis re ipsa comperi Si-
byllae foliis veriores esse. saepe mecum anxius cogito quid fuerit potissi-
mum unde hanc coniecturam ceperis: et quibus maxime rationibus possim possem
a meis ceruicibus depellere. quam tu mihi impendere existimas tam de-
formem calamitatem. Vale. Obsecro ut ex me salutes pissimam coniu-
gem cum reliquis familiarissimis. Duisburgi. 3 Nonas July. 1560.

Tui studiosissimus
Johannes Molanus.

D. Petro Salin Bremae Pax Christi

Nr. 65)
[= Ascr. A. 11. N. 205]

D. Petre senex pissime, nequid me cogitas in magnis fluctibus, vel tui vel
tuorum colloquiorum vel carminum festiuissimorum esse oblitum? Viuit adhuc
recens omnium apud me rerum illarum memoria quae meo cumque animo
(semper proiecto) aliquid roboris contulerunt. Inprimis autem illa dulcissima
consuetudo quae nobis in conuictu D. et Maecenatis nostri fuit, ipsa recor-
datione sic me recreat, ut saepe vigilans somniem me et adesse me vestris sac-
tissimis conuiuiis et amicissimorum virorum oculos contemplari. Neque queo i-
telligere quum id aetatis sim quando me sapere oportebat maxime. Unde
sit hic stupor innatus meo pectori ut nunc demum tandem bona mea postquam
e manibus quasi inter digitos fluxerunt. Rogo te mi Petre amemus iter
nos, neque offendat vos meus inquietus Spiritus. qui me saepe in acerbos dolo-
res conicit. Ora etiam (per nostram amicitiam te obtestor) ora D. Docto-
rem Albertum, ut quae a me parum syncere facta fuerunt Bremae, ubi ter-
tium septennium misere me ipsum afflixi et quam sane potui fidem praestiti, ea
mihi propter communem Christi Servatoris φιλαδελφίαν, ἀγάπην τε
καὶ συμπάθειαν, in meliorem partem interpretetur, neque eorum respectu suum a
me